



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio IV. De Actione angelica, quæ est Motus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

multipliciter distinguunt providentes capacitati aliorum. *His præmissis*

EXPLICATUR. Illuminatio, quod sit locutio seu manifestatio ab Angelo superiori profecta, ut dixi Præmissis primo: de re noscibili seu objecto naturali, aut supernaturali, ad cuius notitiam inferior se solo non pertigisset, ut dixi Præmissis secundo. Perficitur autem hæc illuminatio activa, per eadem principia, per quæ & intellectio, ut dixi Præmissis tertio, scil. quando intellectus superior confortat intellectum inferioris, confortatione stante in communicatione notitiæ, quæ notitia non conveniret illi, ut dixi Præmissis quarto. Insuper etiam conferente ad hoc specie, in quantum format notitiam, quæ sit apta illuminandi capacitati, ut dixi Præmissis quinto. Ad quam illuminationem activam sequitur illuminatio passiva: & conceptio illius conceptus ab illuminante directi: Neque tamen erit illuminatio hæc aliquid supernaturale; quia non proficiscetur à principio, quod sit supra exigentiam naturæ.

QUÆSTIO IV.

*De Actione angelica, quæ est
Motus.*

Multa hinc supponenda sunt ex Philosophia, ut quid loco motiva angelica? quid motus? quid ubi? Hæc enim omnia sunt juris Philosophici. Ea quæ magis Theologica sunt, scholasticæque versantur, perstringemus.

PRÆMITTO 1. *Quod Angelo competat esse in loco.* Ratio, quia Scriptura tribuit illis locum assistentiæ in cælo, progressus ex uno loco in alium, &c. quæ omnia nihil vetat simpliciter & ut sonant accipi; fundaturque hoc in eo, quia cum non sint immensi, hoc ipso non sunt determinati ad implendum spatium, atque ab illo capiuntur. Quod innuit Ambrosius L. 1. de Spiritu S. c. 10. *Seraphim de loco ad locum transit, non enim complet omnia.* Esse autem Angelos nonnisi definitivè in loco. Ratio est, quia cum sit spiritualis, partes non habet partibus loci commensurabiles, & tamen est in loco: hoc autem est esse in loco, nonnisi definitivè. Unde ulterius sequitur formalitatem essendi circumscriptivè in loco, non desumi, exinde, quod divisibile spatium occupet: De facto enim in Eucharistia divisibile spatium occupat Christus correspondens scil. hostiæ, & tamen illic, est nonnisi definitivè.

PRÆMITTO 2. *Quod Angelus non tantum indivisibilem locabilitatem habeat, sed etiam divisibilem.* Hæc divisibilis locabilitas in hoc stat, quod detur in Angelis virtualis extensio ad locum, & æquivalentia ad quantitatem, in quantum illa dicit extensionem localem. Quod ipsum sic explicari potest.

Materialia & corporalia quamvis sint poste-

riora ordine & dignitate præ spiritualibus; nihilominus habent suas perfectiones quæ suo modo reperiantur etiam in spiritualibus, seclusa ratione corporis; & ita materialia composita, percipiunt sua objecta; quæ perceptio objecti, non est etiam indigna, immo necessaria substantiis spiritualibus: sed quia illa perceptio sensibilitatem importat, & sensibilitas corporeitatem, objecta illa Spiritus nec corporaliter, nec sensibilibiter percipiunt, quia ipsi Spiritus nec sensitivi sunt nec corporei, sed faciunt id modo spirituali, quod faciunt modo corporali materiales Substantiæ. Porro inter perfectiones quas habent corpora, est etiam extensio localis ut docet sensus, quæ perfectio non est etiam indigna spiritualibus, modò secernantur prædicata corporeitatem imbibentia. Et ita perfectissimum spirituale Deus, omnem locum divisibilem occupat, quæ occupatio loci divisibilis, etiam in Deo, arguit extensionem virtuales: Nam si Deus ita esset inextensibilis ut punctum, sicut punctum non potest extensum spatium occupare, sic nec Deus posset. Sed quia extensio habet aliqua prædicata imbibentia corpus, quæ Deo, nullique enti spirituali convenire possunt, fit ut illi conveniat extensio, seclusis prædicatis corporeitatem imbibentibus; quale prædicatum, talem imperfectionem imbibens, est partibus suis, vel actu vel potentiâ, (ut Christus in Eucharistia) posse respondere partibus loci. Hoc secluso, obtinet Deus non nisi solam occupationem spatii divisibilis, idemque habent aliz substantiæ spirituales. Et licet impossibile sit, ut si poneretur etiam quantitas materialis in puncto materiali, reddat illud extensum materialiter: quia ad extensionem materiale, est necesse habere partes materiales, quibus caret punctum. Sed si ad hanc materiale extensionem non indigeret partibus, appositione quantitatis illius extenderetur. Cum ergo extensio spiritualis non indigeat partibus, identificetque sibi æquivalentiam ad extensionem localem principiandam, fit ut ratione illius virtutis, divisibile spatium occupare possit.

Hæcque dicta sunt ad explicandum, quomodo Angelus sphaeram suæ locabilitatis impleat: Nam dum se colligit ad punctum, non utitur illa extensione sua virtuali. Imaginari hic est necesse & Dei præsentis, loco, & animæ rationalis, informantis corpus, præsentiam.

PRÆMITTO 3. *Quid sit sentiendum; An Angelus possit esse in pluribus locis, & plures in eodem?*

ASSERO 1. *Non potest esse Angelus in pluribus locis sibi adequatis, secundum totam sphaeram suæ locabilitatis.* Ratio, quia & essent illa loca adæquata, secundum totam sphaeram locabilitatis; & non essent. Essent quidem ut supponitur: non essent autem, quia præter unam sphaeram locabilitatis adæquatam, occuparet adhuc aliam sphaeram locabilitatis adæquatam.

ASSE-

ASSERO 2. *De facto cum Angelus indivisibilis non existit, tunc est in pluribus locis, sibi diverso respectu adequatis, diverso inadequatis.* Ratio, quia dum occupat spatium divisibile, posset se redigere in indivisibile, quod esset adæquatum entitati & substantiæ illius, esset tamen tunc diverso respectu in loco inadæquato; quia potest majorem locum occupare, secundum sphaeram locabilitatis.

ASSERO 3. *Non potest esse Angelus in pluribus locis inadæquatis, etiam intra sphaeram locabilitatis contentis, si illa loca non sint continua.* Ratio, quia alius ille Angelus reproductus esse deberet, sicut Christus in Eucharistia & in cælo existens, essetque à seipso. Et sicut anima potest informare caput & pedes & medium pectus, neque tamen potest informare caput & pedes non informando pectus: sic etiam in præfenti.

Neque valet si dicas, Major est perfectio implere actu totam locabilitatis sphaeram, quam non implere totam. Ergo si illud primum conceditur Angelo, concedi debet & posterius: Non implet autem tunc totam; quia non coexistet aliquibus interjacentibus, & tamen intra illam sphaeram contentis; quia quamvis magis sit implere totam sphaeram, quam partem illius, id verum est cæteris paribus; hic autem cætera non sunt paria, propter rationem aliam.

PRÆMITTO 4. *Ponamus quòd sphaera locabilitatis alicujus Angeli sint 4. leuæ, nihilominus Angelus dividendo hoc spatium & commensurando ut per lineam rectam extendatur à concava parte calorem usque ad convexam, nihilominus non poterit totam illam lineam occupare.* Ratio, quia pro nulla mensura sphaeram locabilitatis suæ excedere posset, immeritoque in illis poneretur determinata locabilitatis sphaera, saltem in sententia communi: possent enim per partes proportionales minores & minores totum etiam universum, & ultra hoc universum, aliud universum, occupare: Si enim granum papaveris in sententia communi, potest per partes proportionales implere hoc & aliud universum: sic posset etiam implere sphaerâ suâ locabilitatis minores & minores partes loci penetrante, posset inquam implere universum, & aliud universum, Angelus.

PRÆMITTO 5. *Non teneri Angelum, ut semper totam suam sphaeram impleat;* quia de facto etiam anima, non semper ita se extendit, quantum se extendere nata est, ut videre est in infantibus. Aliud est de corpore; quia nisi occuparet tantum spatium, quantum potest sine superaddito principio rarefactionis: hoc ipso aliquæ partes deberent se penetrare, quod naturaliter fieri non potest.

DICES. Angelus tenetur noscere quantum potest: Ergo & implere locum quantum potest. Ordinariè disparitas datur, quia in ordine

ad noscendum non subditur imperio voluntatis, subditur autem ad occupandum spatium. Sed redit argumentum, non subditur ad intelligendum; Ergo nec ad occupandum spatium.

Disparitas alia assignari potest, quia est bonum naturæ intellectualis quâ talis, intellectio adeoq; & adæquatio ad capacitatem noscendi: Jam vero locabilitatis tanta vel tanta sphaera, non est bonum naturæ intellectualis quâ talis. Unde si nihil cogitaret Angelus, hoc ipso desineret vivere intellectualiter, quod non sequeretur, si se redigat in punctum. Sed redit interrogatio, cur in illis quæ sunt bonum naturæ intellectualis quâ talis, non sit subditus imperio voluntatis, sit autem subditus in aliis. Deinde quamvis extensio virtualis, ad quam sequitur locabilitatis sphaera, non sit bonum naturæ intellectualis sub formalitate intellectualis, eò quòd non sit assimilatio illic ulla intentionalis, nihilominus est bonum naturæ intellectualis: quia nulli hoc enti potest competere, nisi intellectuali, ut sine partibus occupet partes spatii. Ergo adhuc si bonum illud intellectionis non cadit sub potestatem voluntatis, nec cadet bonum locabilitatis: Et sicut desineret vivere Angelus, si nihil cogitaret, ita si in hoc universo, non posito ullo vacuo, non esset Angelus, nec extrâ, bene inferetur illum non existere. Et quamvis major in aliquo sit necessitas intellectionis, non sequetur, quòd minor necessitas locabilitatis posset jam subdi imperio voluntatis.

Posset & alia disparitas dari, quia in humanis potentia loco motiva est subdita arbitrio voluntatis, & non est subditus intellectus, ita & sphaera locabilitatis erit subdita Angelo, non autem sphaera intellectivitatis. Sed non satisfacit, quia locabilitatis sphaera non est potentia loco motiva angelica, sed se habet sicut terminus illius & locabilitas passiva. Unde sicut in humanis locabilitas inclusa in ipso locando, nec ipsum ubi, supposito motu, est in humanis subditum dispositioni voluntatis; ita nec erit subdita sphaera locabilitatis. Hinc aliter

RESPONDERI potest ex duobus principiis, in primis ab Auctoritate, cui in iis quæ arcana sunt, & ad quæ demonstratione, vel convictiva ratione perveniri non potest, standum est. Fert autem Doctorum sensus sphaeram locabilitatis posse ab Angelo coartari. Ex alio etiam principio responderi potest: quia connaturale esse videtur ut indivisibile in entitate, indivisibile spatium occupet, ut patet in puncto, quem locum connaturalem non posset unquam Angelus fortiri, si sphaera illius locabilitatis non posset subdi arbitrio illius. Ratio autem est, cur in præfenti clara disparitas assignari non possit: quia nullam habemus demonstrationem, nec rationem convictivam, cur sicut non potest se spoliare Angelus extensione virtuali sibi identifi-
ficata,

P.
MLOD
OWSKI
de Z.
VI

ficata, ita non possit se spoliare extensionis exercitio, quod potest esse identificatum ipsi extensioni virtuali. *His premissis, sit*

DIFFICULTAS I.

An Angelus sit formaliter in loco per Actionem externam.

DICENDUM est: Angelum non constitui formaliter in loco, per aliquam externam actionem transeuntem in locum. Est sententia communior contra Thomistas.

PROBATUR 1. Argumento negativo. Quia nulla est necessitas supra indistantiam substantiæ Angeli & loci ad salvandum Ubi, ponere illam actionem externam.

PROBATUR 2. Ponamus Angelum A. esse indistantem loco B. nec reperiri alibi præter locum B. ponamus rursus (quod non implicat) subtrahere Deum suum omnem concursum ad agendum, non tamen annihilare illum: Quæro, vel est Angelus A. à loco B. non distans, vel distans. Si distans, contra erit, quia debuisset per modum acquirere distantiam, supponitur autem denegatus concursus ad quemcunque motum, quia ad omnem actionem. Si autem indistans; Ergo est in illo loco, quamvis nihil illic operetur; quia indistantia à loco, est esse ipsum in loco: Neque enim plus volumus; Nec tantum tunc Angelus erit materialiter in loco, sed omnino formaliter; quia nihil deerit ad esse formaliter in loco.

PROBATUR 3. Defacto Angeli sunt in cælo empyreo & sede Beatorum. Nec tamen illud movent utpote immobilem Beatitudinis sedem, nec illud custodiunt, ad quid enim esset illa custodia? Ergo apparet non constitui Angelum formaliter in loco, per aliquam operationem. Immo ex his principiis sequetur, quod si sit Angelus ita intentus toti sphaeræ intelligentiæ & volitionis, ut distineatur ad agendum alia (quod fieri cur non posset?) hoc ipso deberet desinere esse in loco, nullibique esse, & tamen est impossibile esse ens creatum in mundo, non in aliquo vacuo, nec in spatiis imaginariis, & tamen esse sine loco.

Neque valet si dicas, sufficere ad jus loci, cogitare de illo loco: Nam non apparet undenam tunc oriri possit ubitas; quæ est quid physicum non intentionale. Nunquidne non poterit Angelus transferre aliò omnes cogitationes nihil cogitando de loco? Deinde dum cogitat Angelus in cælo existens de terra non hoc ipso habet locum in terra: quod probat cogitationem non esse locativam Angeli. Neque valet si dicas cum Joan. à S. Thom. si occultæ sunt virtutes lapidum & herbarum multò esse occultiores virtutes agendi circa corpora reperibiles in Angelis. Non inquam valet. Licet enim sint oc-

cultiores quia spirituales, non sunt tamen sine fundamento fingendæ; nullum autem hic habetur fundamentum, præcipuè secundum communiorem sententiam, quæ dicit, quod præter motum localem, nihil Angeli possint in corpora.

CONFIRMATUR. Prius intelligitur indistare à loco Angelus quam agere: Sicut prior est applicatio ad passum, quam actio; Ergo per prius est in loco, quam agat; quia esse in loco nihil est aliud, quam indistare à loco, sive illa indistantia sit modalis ubitas, sive mera formalitas.

OBJICIT 1. Joan. à S. Thoma D. 20. A. 1. autoritatem S. Th. hic q. 54. a. 2. q. 76. a. 6. ad 3.

RESPONDETUR. S. Thomam explicare motum angelicum per applicationem virtutis activæ, tanquam per notius, & imaginationi nostræ subiectum; quia extensio virtualis à nobis admissa, multò est ignotior: Sed non explicuit locum angelicum, per illam applicationem virtutis, tanquam per aliquid formale, & ex principiis intrinsicis locativum. Agnoscitur enim S. Thomas entium spiritualium finitorum localitatem, per illorum essentiam indistantem. Hinc in 3. P. discurrens de descensu ad limbum, dicit animam Christi per suam essentiam, fuisse in limbo.

OBJICIT 2. Idem. Contactus Angeli & præsentia ejus ad corpus, est aliquid accidentale in Angelo, & variabile; quia potest esse modo in uno loco, modo in alio, nunc in majori, nunc in minori, multò melius quam anima rationalis, nunc parvum postea majus corpus informans. Ergo potest talis præsentia, & contactus fieri, immediatè per ipsam substantiam Angeli; quia unio seu contactus accidentalis, non potest fundari immediatè in Angelo, in quantum substantia est; quia substantia non potest uniri alteri rei, nisi tanquam substantia incompleta, scilicet forma, aut materia, vel tanquam completa ut subiectum, vel efficiens; quia omnis ista conjunctio, debet esse in aliquo genere causæ; & non est causalitas substantiæ, præter istas. Primo modo non potest Angelus uniri corpori, cum se non habeat tanquam forma ad materiam, nec è converso; Ergo unitur & tangit illud, ut agens & efficiens.

RESPONDETUR. Quod talis præsentia non possit fieri simpliciter per substantiam Angeli potest tamen fieri in circumstantia majoris vel minoris loci penetrati ab Angelo, fitque hoc per unionem. Et licet, quod unitur alteri vel per unionem substantialem, vel per unionem inhaerentiæ, non possit esse nisi vel tanquam materia & forma, vel tanquam subiectum illius accidentis: quod tamen unitur improprie, per negationem, vel intercepti corporis, vel interceptibilis cum aliquo spatio, non est necesse ut comparetur ad hoc, vel tanquam materia & forma vel tanquam subiectum; nisi forte dicas sub-

stantiam Angeli comparari tunc ad locum ut
subjectum ad accidens metaphysicum, hoc est
ubitas, quæ est formalitas tunc pullulans, ex
modo concipiendi. Et cum ista conjunctio,
non sit quid physicum, h. e. physicè à substantia
Angeli & loco distinctum, non est necesse il-
lam conjunctionem ostendere, ad quod genus
physicæ causæ spectet, sed sufficit ostendere ad
quod genus causæ metaphysicæ spectet; spe-
ctatque formaliter ad genus causæ formalis, est
enim quasi forma metaphysica ubitas. Tota
autem variatio majoritatis vel minoritatis loci,
debet referri in illam extensionem virtuales,
in circumstantia talis, vel talis loci, partiumque
ad Angelum penetratarum.

Objicitur 3. Idem. Si substantia Angeli per
se immediate est ratio existendi in loco majore
vel minori, juxta suam voluntatem, necesse est
quod ipsa ratio formalis existendi in loco, sit per
se ipsam capax hujus inæqualitatis; non autem
ut id reducatur solum ad voluntatem Angeli,
ut ad rationem formalem; quia ista voluntas,
est solum applicativa; Ergo supponit rationem
formalem, per quam fiat, illa ubitas. Si ergo il-
lud ubi nunc potest esse æquale, nunc inæquale,
necesse est quod ipsa substantia Angeli, non sit
immediata ratio ponendi in loco; quia substan-
tia in se una, non potest habere majus & minus,
ex ipso ratione substantiæ.

RESPONDETUR. Occupationem majo-
ris, vel minoris loci reduci in voluntatem tan-
quam in causam applicantem. Formale autem
reducitur in indistantiam substantiæ Angeli à
majori vel minori corpore. Quæ ipsa vis occu-
pandi illud dependens, est originativè ab exten-
sione virtuali, & æquivalenti, ipsius substantiæ
Angeli. Et licet substantia in se una, spectata
sine virtuali extensione, non possit nunc majore,
nunc minorem locum occupare; potest
tamen cum illa virtuali extensione, idque sine
illareplicatione; sicut anima rationalis non re-
plicata, occupat spatium divisibile. Et licet ani-
ma non sit pro suo libitu occupativa majoris
vel minoris spatii; in hoc tamen est similitudo
cum locabilitate Angeli, quia unde provenit ani-
mæ, ut secundum materiæ & dispositionum
requisitarum conditionem, extendat se ad il-
lam informationem; quod fundatur in virtuali
extensione debita animæ: & si illam non habe-
ret, tunc etiam secundum dispositionum & ma-
teriæ exigentiam, non posset se extendere; ita
eodem virtualis extensio in Angelis, principia-
bit majoris vel minoris spatii occupationem.
Quamvis autem ponamus in anima extensio-
nem hanc virtuales; nihilominus, non poni-
mus in illa vim, cum est separata à corpore, ut
possit majus, vel minus spatium occupare, sed
extra corpus in punctum se colligit. Ratio,
quia cum anima sit essentialiter actus corporis,
etiam virtuales extensionem debuit habere,

essentialiter ordinatam ad corpus informan-
dum, quo tamen caret in statu separationis:
Hinc nec habet titulum coextendendi se cor-
poribus. Jam autem angelica virtualis exten-
sio, non est ordinata ad corpus, sicut nec ipse;
hinc debuit aliud principium habere cui subde-
retur in sui exercitio: hoc autem non aliud est,
quàm voluntas Angeli.

Sed inquit Arriaga hic d. 15. n. 15. Si Ange-
lus esset in loco majori vel minori per volunta-
tem suam, quod esset objectum hujus volitionis,
volo esse potius in schola, quàm in illo loco?
indubiè habet hunc sensum, volo me: & cum
non obstante illa volitione Angeli efficaci, pos-
sit Deus efficere, ne illa fortiaur effectum, ap-
paret quod in volitionem, ratio ubitatis, non
possit referri, præcipue cum non possit intelligi
quomodo volitio, quæ dicit volo me, magis con-
stituat Angelum hic, quàm Romæ; Ergo ea
volitio, non est forma dans esse in loco.

Sed dictum supra voluntatem esse non nisi
causam applicantem, forma autem est ipsa indi-
stantia, fundata in virtuali extensione; Obje-
ctum autem illius voluntatis, erit usus illius ex-
tensionis virtualis. Usus autem stabit in pene-
tratione actuali, & impletionem hujus potius
quàm illius loci. Unde illa volitio non dicit vo-
lo me; sed volo penetrationem & impletionem
harum partium loci beneficio virtualis exten-
sionis mihi identificatæ. Ad eum modum quo
volitio Dei, quæ dicit volo esse in mundo quem
pono, non habet seipsam pro objecto. Cum er-
go illa volitio non sit ratio formalis locationis,
sed sola applicatio, impedire illam poterit Deus,
ne sequatur effectus indistantiæ, sed indistantiæ
posita, non poterit jam Deus facere, ne sit in
loco.

DIFFICULTAS II.

Potestne unus Angelus movere alium? &
Quid circa corporalia prestare pos-
sint?

Quoad Primum.

Revolum putat Vasquez esse, ut unus Ange-
lus moveat alium, ut videre est D. 194. Sed
affirmat Suarez L. 4. c. 28. quem sequitur Ar-
riaga d. 18. n. 28.

Pensandæ sunt Affirmantium Rationes.

PRIMATIO est, quæ utitur Suar. ex Majo-
re. Angelus potest movere corpus; Ergo po-
test movere Angelum inferioris vel ejusdem spe-
ciei, magis autem proportionatum quid videtur
unus spiritus respectu alterius, quàm corpus re-
spectu Angeli.

RESPONDETUR. Majorem esse proportio-
nem in ratione mobilis. Nec sequitur, ut id,
quod potest Angelus in corpus, hoc ipsum pos-
sit in spiritum; Ita per accidens potest Angelus

h

cale-

calefacere corpus, non potest Angelum; quia est incapax hujus qualitatis, & tu nondum ostendis capacitatem in Angelo, ad motum, ab altero, principiandum, quod tamen prius debuisset probari.

Disparitas etiam est, quia ex una parte constat ratione, quod motus in corporibus ab Angelis principiari possit: competit enim illis movere cœlos. Ex alia parte impenetrabilitas corporum, quæ recipiunt impulsus v. g. materiale productum ab Angelis, bene probat qui moveantur illa corpora; idemque intelligi potest si motu lationis ferantur; sed si impulsus transmearet corpora, non apparet quomodo corpora per impulsus moverentur. Cum ergo Angeli Angelis sint penetrabiles, non apparet qui unus possit movere alium. Quod si dicas; Hac responsione probari, quod etiam corpora spoliata quantitate non possint ab Angelis moveri; id fortè aliquis concedere in hac sententia posset, nisi recurreret ad hoc, quod tamen haberet illa materia partes entitativas, quibus caret Angelus. Ceterum & hæ partes spoliata quantitate, non apparet, quomodo recipere possent impulsus, qui supponit ut non possit permanere illa qualitas, per corpus impulsus.

RATIO 2. est, Angelus potest moveri passivè ab extrinseco motore v. g. Deo; Ergo & ab alio Angelo.

RESPONDETUR. Verum esse Antecedens quoad potentiam obedientialem, non quoad naturalem; cum à quacunque qualitate sit penetrabilis Angelus. Non ergo ex eo non produciatur ille motus; quia deberet esse vitalis, sed quia omne principium motivum permeabit Angelum. Et licet corpora moveantur à corporibus, non sequitur, spiritus moveri à spiritibus, quia de spiritualibus conformiter ad corporalia philosophandum est, si cætera sint paria.

In præsentem autem cætera non sunt paria; quia non habetur idem utrobique principium: nam corpora moventur se ad invicem; quia non se penetrant; secus spiritus. Quando autem dicunt Patres animas raptas à dæmonibus, non propter motum localem id fit, qui imprimatur animabus, sed propter capionem exequendæ justitiæ vindictivæ, qualis convenit tortoribus. Dicunturque ducere animas; quia illæ non sunt determinatæ ad illuc dirigendum motum, sed illis ut ita dicam, ostenditur intellectualiter, via: siquæ tribuatur in statu puræ naturæ vis aliqua coactiva unius supra alium, illius executio, effectus ratione subditiōis voluntariæ, non autem ex ratione causationis motus, ab alio Angelo.

RATIO 3. est. Quia Angeli superiores habent potestatem aliquam naturalem in inferiores; neque enim hæc prælatio sine hac potestate intelligitur; quæ potestas non videtur esse moralis: nam hæc non videtur fore alia, quàm jurisdi-

ctionis; Jurisdictio autem illis non competit in inferiores; quia non sunt causæ effectivæ illorum; nec habent aliquod fundamentum naturalis dominii: neque enim sola inæqualitas perfectionis, ad hoc sufficit; aliàs infimus Angelus, tot haberet in se jurisdictionem habentes, quot se superiores. Quod si potestas illa est physica; non potest esse alia, nisi quoad motum localem, vel detentionem violentam, in loco.

RESPONDETUR. Si sit necesse superioritatem Angelorum salvare per prælationem, hæc poterit stare in ratione intellectivi: quia habet jus magistrale, ut vocat S. Thomas superior, ad illuminandum inferiorem: quod jus non solum est situm in aliquo placito, sed in præcellentiæ physica. Fortèque vis coercitiva stare in primis in correptione intellectuali, & secundario in productione aliqua qualitatum spiritualium, dolerem spirituale principiantium.

His non obstantibus

DICENDUM est cum Suarez. *Possè ab uno Angelo moveri alium.*

PROBATUR 1. Quia non implicat Contradictionem spiritualis impulsus.

Neque valet si dicas, eum ita implicare ac implicat quantitas spiritualis; quia cum quantitas sit primò essentialiter extensiva partium in ordine ad se, quod partes spirituales non habet, ut non habet substantia spiritualis ex communi persuasione; respectu illius nec dabitur quantitas spiritualis, illi substantiæ debita: nihil autem simile adferri potest contra spirituale impulsus.

PROBATUR 3. Quia si repugnaret impulsus spiritualis visque movendi alterius Angeli, ex eo, ut vidimus supra, maxime repugnaret, quia Angelus est quid penetrabile. Sed hæc ratio non convincit, quia anima est penetrata cum corpore; nec tamen obest, quo minus moveat corpus. Ergo nec penetratio quæ se penetraret cum illo impulsu, officeret, ne moveatur ille Angelus.

PROBATUR 3. per id, quod in superioribus inexplicatum mansit. Potest Angelus motu lationis movere aliquod corpus & tamen penetraret illud; Ergo poterit movere & alium Angelum. Ceterum putarem, quod inferior superiorem invitum movere non possit: quia videtur esse contra excellentiam superioris, talis illius coactio.

Quoad Secundum.

ASSERO 1. *Non possunt Angeli producere immediate formas materiales.* Adducuntur in probationem loca aliqua Patrum; sed ea ad propositum non facere ostendit Arriaga. Pro asserto difficile est positivam rationem reddere. Quia non implicat in potentia entis spiritualis, contineri educationem formarum substantialium materialium. Recurri ergo debet ad consensum Doctorum. Quod autem dicit Suarez

tales effectus contineri sufficienter in aliis causis, id certum est de praesentibus, sed cur non est possibilis forma materialis, & tamen non nisi a potentia spirituali educibilis.

ASSERO 2. *Applicando activa passivis possunt educere formas materiales.* Cur enim non poterit comburere papyrum, admotam candelam.

ASSERO 3. *Præter motum localem convenit Angelis, etiam assumptio corporum.* Ratio, quia id illis tribuit Scriptura. Ad assumptionem hæc requiritur solent: Primum, ut per se ipsum sit præsens corpori. Secundò, ut habeat rationem motoris; neque enim ille informat corpus, hoc enim est non nisi animæ, quæ est forma corporis. Tertiò, ut corpus quod assumit, repræsentare possit Angelum saltem tanquam in ænigmatæ: Neque enim Angelus dicitur assumpsisse linguam asinæ, quæ locuta est ad Balaam. Hinc Scriptura non dicit esse locutum Angelum, sed animam; cum tamen in aliis occasionibus, dicatur loqui Angelus.

Quando autem corpora assumunt, interdum assumunt corpora mortuorum recens, vel fabricant sibi corpus ex mixtura terræ, aeris, exhalationum &c. ad eum planè modum, quo figurati solent. An autem in apparitionibus veteris Scripturæ, semper non nisi Angeli apparuerint, consulantur Interpretes, & in compendio Arriaga d. 19. n. 28.

DIFFICULTAS III.

An Angelus possit transire ab extremo ad extremum non pertranseundo medium.

A Firmat Valq. d. 196. n. 6. & ante eum S. Thom. hic q. 53. a. 2. in Corp. similia habet in Primum dist. 37. q. 4. n. 2. Eandem sententiam docet Cajet. Capreol. & post illos Joan. à S. Thoma d. 20. n. 15. Oppositum tanquam probabilis docet Suarez l. 4. c. 19. Arriaga d. 17. n. 12. Martinon d. 42. n. 70. Franc. Lugo d. 6. Docet tamen talem motum esse possibilem, & quod verosimiliter possit attribui Angelis.

Ut autem advertatur, ad statum Quaestionis, non est quaestio: An possit transire ab extremo ad extremum, non pertranseundo medium, & tamen faciendo motum continuum; quia & esset ille motus continuus, & non esset: esset quidem ut supponitur; non esset autem, quia in motu continuo per Aristotelem, prius pertranseitur medium, quam perveniatur ad terminum: imò hoc ipso, quia ille motus non esset per medium, esset in sua continuatione, in medio interceptus, adeoque non continuus. Est ergo difficultas: An possit pertranseire ab extremo ad extremum non pertranseundo medium, sed per motum discreto.

DICENDUM est. *Possibile esse, ut Angelus transiret ab extremo ad extremum non transeundo medium.*

PROBATIO unica hujus Conclusionis est: Quia id non implicat. Aliqua Congruentia infra adferentur: nunc solvenda sunt objectiones.

OBJICIT 1. Ægydius. Angelus cum sit pars universi, nunquam potest esse sine ordine in illo. Ergo neque potest moveri de loco ad locum, nisi servato ordine situum.

RESPONDETUR. Ly ordo positum in Antecedenti non plus vult, quam quòd primum locum obtineat in ratione entis creati. Item, quòd nullum malum naturæ moliri possit, & quòd extra hoc universum localiter esse non possit. In Consequenti autem ly ordo pro locali successione, qui tamen ordo nullo modo inferitur ex priori. Quod si referas id in ordinatione divinam, quæ abrogaverit talem motum; jam non ostendis implicantiam de tali motu: de qua hic quaeritur, præcipue cum etiam talem motum, nulla sacra auctoritas neget Angelis.

OBJICIT 2. Gabriel. Si Angelus subito transit ad aliud extremum; necesse est, ut simul & sine successione, relinquat terminum à quo; quia si successivè illum relinqueret pro aliquo tempore, partim esset in termino à quo, partim in termino ad quem, non existendo in medio, quod naturaliter fieri nequit. Immo sequitur, quod tempus componatur ex instantibus, in quorum uno sit in termino à quo, & in quorum altero sit in termino, ad quem.

RESPONDET Suarez, non esse necesse, ut sequantur se duo instantia, adeoque ut componatur tempus ex instantibus; sed potest esse unum idemque instans acquisitionis & amissionis utriusque loci, nempe ut sit in termino ad quem per primum esse, & in termino à quo per primum non esse, quomodo in simili responderetur de inceptione, & desitione rerum permanentium, quia licet primum non esse dicatur extrinsecum respectu existentiae in priori loco, tamen respectu carentiae ejus, est intrinsecum. Addit quòd illo instanti possit Angelus ultimò esse in priori loco & in posteriori ultimò non esse. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia impossibile est, ut Angelus sit in duobus locis dissitis simul; Ergo in eodem instanti non potest esse in duobus illis extremis: nam si esset in duobus illis extremis dissitis, esset in duobus locis, quod sine replicatione esse non potest. Quod si non sit simul in eodem instanti in duobus locis; Ergo alio instanti fuit in extremo à quo, alio in extremo ad quod; Ergo ulterius totus ille etiam discretus motus Angeli, debuit complecti duo instantia, unum in quo est in termino ad quem, & aliud in quo est in termino à quo: Si enim non esset in termino à quo, quomodo ab illo inciperet moveri? Tum quia quod adfertur de inceptione & desitione entium

h a per-

permanentium, ad præsens non facit; quia facile est concipere, quomodo una forma primò non sit, & alia primò sit; quia illa prædicata procedunt de diversis formis: quod in præsentis locum non habet; quia de eodem diceretur quòd esset in termino à quo, utpote à quo deberet incipere motus, & simul in termino ad quem; quæ duo sine replicatione contingere non possunt. Tum quia ut hæc omnia clariùs explicentur, nego quòd de Angelo possit verificari, quòd eo instanti, quo primò est in termino ad quem, primò non sit in termino à quo. Ratio, quia nihil potest incipere moveri à termino à quo, & non habere esse in termino à quo; cum moveri supponat esse: Si autem est in termino à quo; Ergo nondum est in termino ad quem: cum non intercedat replicatio; Ergo in alio instanti erit in termino ad quem. Quamvis autem in instantaneis idem sit moveri & motum esse: id verum est hoc sensu, quòd non per partes moveatur; sed non hoc sensu, quasi ea prædicata quæ conveniunt moto esse, illudque formalisant, convenient formalisentque ipsum motum esse; datur enim distinctio inter præsens instantaneum, & præteritum instantaneum.

RESPONDETUR aliter huic argumento. In primis quòd non eodem instanti intrinseco sit Angelus in termino à quo & in termino ad quem: Ratio, quia non potest esse in termino à quo & in termino ad quem nisi replicetur; hic autem nulla intervenit replicatio. Quòd autem deberet tunc replicari, probatur; quia in termino à quo non esset per primum non esse, ut probatum suprà, ergo esset in illo per ultimum esse, non enim datur alius modus; & tamen simul esset in termino ad quem, adeoque in duobus locis: quod est formalissimè replicari. Quid ergo tunc contingit? Sequitur instans intrinsecum, quod instans, est ultimò esse, in termino à quo; & post hoc instans intrinsecum, sequitur aliud instans intrinsecum, quod est, primò esse in termino ad quem. Neque tamen componetur tunc tempus ex instantibus, nec sequetur instans extrinsecum temporis, post instans extrinsecum temporis; quia illis instantibus intrinsecis, nihil proportionatum responderet in ipso tempore; ad eum modum, quo, si unico instanti sit per talem motum Angelus in utroque termino, non sequitur dari ullum instans in ipso tempore; & ad eum modum, quo si se ponat Angelus punctualiter in corpore quanto, nihil proportionatum respondebit in quanto, illi indivisibili præsentiæ: Quòdque ab hac potius parte loci distet, non habet id ratione proportionatè respondentis loci, sed ratione ubiatis intrinsecæ talis, qualem haberet in spatiis imaginariis, vel absolute vacuo: Universaliter enim & punctis continuativis, & punctis terminativis realibus, caret tam successivum,

quàm permanens continuum. Videtur hanc responsum nostram aliquo modo tenere, Joan. à S. Th. cit. n. 23.

OBJICITUR 3. Necessitas transeundi per medium non oritur ex quantitate, sed ex præfatione entis realis. Hinc substantia materialis spoliata omni quantitate; Corpus item Christi in Eucharistia non possunt se sic movere. Quòd ulterius in hoc fundatur, quia sicut alligata est creata substantia, ut habeat præsentiam in aliquo spatio; ita est alligata ut transeat per medium spatii.

RESPONDETUR. Concedendo in primis, quòd substantia materialis, non possit tali motu moveri, etiam spoliata quantitate; sed non sequitur negari id debere substantiæ spirituali, quæ quia perfectior est, potest principiare perfectiorem motum. Sed ægrè convinceretur qui affirmaret etiam substantiam materialem spoliatam omni quantitate, redactamque in punctum posse sic moveri. Sed id non est concedendum corpori Christi in Eucharistia, quia est sub speciebus quantis. Quòd attinet ad illam alligationem ad locum, dici potest, cum Ubi in recto, sit ipsemet Angelus, qui sine seipso esse non potest, & cum dicat in obliquo loci instantiam, qui locus etiam supponitur esse; hoc ipso implicabit esse creaturam in mundo, & non habere ubi: esset enim & non esset; tale autem nihil sequitur, si non pertranseat medium.

OBJICIT 4. Suarez. Licet non inveniatur aperta repugnantia in tali motu; difficile à nobis percipitur, & ideo videtur superare modum agendi naturalem cujuscunque creaturæ. Multa autem negamus Angelis, quamvis fateamur non implicare contradictionem.

RESPONDETUR. Multa esse quæ nos non concipimus, & tamen tribuimus Angelis: Nam v. g. ipsam spiritualitatem non concipimus, sphaeram item locabilitatis &c. Imò & rebus materialibus multa tribuimus, quæ difficile imaginamur ut influentias, virtutes magneticas &c. Per hoc tamen non nego, quòd quàmvis hic motus non implicet contradictionem, non jam ex hoc ipso, sit concedendus Angelis.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

OBJICIUNTUR 5. Paritates. 1. PARITAS est. Corpus quantum non potest transire ab extremo ad extremum, nisi transeat prius medium; Ergo neque substantia spiritualis id poterit.

RESPONDETUR. Transito Antecedenti nego Conf. Paritasque nulla adfertur. Deinde non tenet Consequentia à negata perfectione inferiori, ad eandem negandam superiori. Antecedentis non est tanta implicancia: posset interim hæc adferri, quòd cum ipsa substantia quanta, habeat esse divisibile & medium, etiam motus illius debebit proportionari ipsi esse, ad.

se, adeoque esse per medium. Adhibendus & hic erit respondendi modus, inferius, & alias interpretandus, quod scilicet quæcunque adferretur à proponente implicanti Antecedentis, illa vel non sit futura legitima, vel non applicabilis consequenti.

2. PARITAS. Impossibile est transire à futuro ad præteritum, nisi per præsens, quod est quædam medium temporaneum; Ergo etiam impossibile est transire ab uno extremo ad aliud sine medio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia hoc extremum quod est v.g. præteritum, definitur importat præsentiam pro aliqua differentia temporis exercitiam, quæ si non habeatur, non habebitur definitivum præteriti, adeoque nec præteritum. Jam autem definitivum terminum ad quem, non est transitio medii, cum sit secundum suam primam positionem, potest illi poni, & non pertranseundo medium.

3. PARITAS est. Non potest anima informare caput & pedes, non informando pedes; Ergo neque transire Angelus ab extremo ad extremum sine medio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia hoc ipso anima deberet esse in pluribus locis non continuis, quod sine replicatione fieri non potest; cum tamen hæc, non sit naturalis. Nihil autem horum sequitur, si Angelus transeat ab extremo ad extremum, sine medio.

4. PARITAS. Non potest Angelus agere in distans, non agendo per medium; Ergo neque pertransire sine medio.

RESPONDETUR. Sicut Angelus potest transire ab extremo ad extremum sine medio, transferreque suam virtutem activam sibi identitatem, vel unitam sine medio; ita & operari poterit. Sed casu quo retineat priorem locum, & non diffundat actionem per medium, non poterit in alio extremo agere. Cujus ratio est hæc ipsa, quam tu legitimam assignaveris, cur non possit dari actio in distans: quæ tamen ratio, non militabit contra consequens.

Deinde si aliquid operaretur in distans, concluderetur illud principium, nihil potest operari ubi non est: Nihil autem simile sequitur concesso motu non per medium. Sed poteritne Angelus producere virtutem in loco A. cumque transfundere non per medium, illicque in illa virtute operari? Ad hoc dici potest, si sit qualitas corporalis, non posse id fieri, ex ratione superius de corporalibus allata; Si autem procedat difficultas de qualitate spirituali, id non est promptum decidere; non enim clara apparet hoc implicanti. Sed illa etiam posita staret Consequens; quia non sequitur omnem eam perfectionem tribuendam esse effectui, quæ tribuitur causæ. Hinc licet talis mobilitas tribuatur ipsi Angelo, non sequitur tribui debere illi qualitati quæ est effectus.

5. PARITAS. Non potest se Angelus movere in locum distantissimum sine medio; alias in infinitum posset se movere; ergo neque in locum viciniorem.

RESPONDETUR. Inprimis argumentum procedere à faciliore ad difficilius viâ affirmationis. Deinde concedi posset quod in infinitum syncategorematicè, possit se sine medio transferre substantia spiritualis.

6. PARITAS est, cujus etiam meminit Joan. à S. Thom. motu continuo non potest aliquis pervenire sine medio; Ergo neque motu discreto. Consequens prob. quia in omni motu debet esse successio; quod ipsum prob. quia quando Angelus est in termino ad quem, tunc non est in moveri, sed in motu esse; quando autem est in termino à quo, nondum incipit motus; quia adhuc non recedit ab illo termino; Ergo ut detur motus, necesse est quod detur aliquis transitus per medium.

Responsum supra implicare contradictionem motum continuum, non tamen per medium. Ex S. etiam Thoma cit. supponi posset hæc alia disparitas; quia in loco transeundo, sunt infinitæ partes potentiæ, quas omnes Angelus non potest tangere motu discreto, alias motu illo numerarentur omnes partes loci, consequenter numeraretur infinitum, quod numerari non potest: ne ergo hoc fiat in motu discreto debet pertransire Angelus ab extremo ad extremum, non pertranseundo aliquod medium. Jam autem hoc absurdum non sequitur, si pertranseat medium motus successivus: quia sicut loca media sunt infinita in potentia; ita & in motu continuo est accipere infinita quædam in potentia.

Quod attinet ad ipsam Rationem propositam, dici posset, quod ad hoc ut dicatur motus, non sit necesse pertransire medium, sed sufficit habere terminum ad quem, seu motum esse, cum antea fuerit in termino à quo; ita ut motum esse in quantum dicit possessionem loci, sit quies; & in quantum dicit primam occupationem spatii, dicatur instantaneus motus discretus.

OBJICIT 6. Arriaga. Quod pro hoc motu neque stet ratio, nec auctoritas, improporionateque discurretur, ad ea, quæ sunt manifestè moventia se, quæ non moventur sine medio.

RESPONDETUR. Ratio unica in istis, quæ sunt possibilia est: Non implicat. Auctoritas etiam S. Thomæ citata est idem docentis in 1. d. 37. q. 1. a. 2. & quodlib. 1. q. 3. a. 2.

Quando autem adducit responsa dæmonum in enigmatis, fatentium se non posse talia, negari potest verum illos dixisse: Qui etiam adjurati non tenentur in omnibus materiis præcipue impertinentibus respondere. Fortassis etiam hæc vis debita est non nisi excellentissimis

spiritibus, qui fortassis localiter semper sunt inferno alligati.

OBJICITUR 7. Auctoritas S. Thom. hic q. 53. a. 2. ad 2. negante, quod possit se Angelus ita transferre ab extremo ad extremum sine medio, ut se potest cogitatio nostra transferre.

RESPONDETUR. S. Thomam in corpore clarè esse pro nobis; loco autem quo in oppositum citatur, tantum negat, quod motu continuo, possit id Angelus facere; sicut continua cogitatione potest se transferre anima à Gallia in Syriam non cogitando de mari. Fortè etiam S. Thom. attendebat potiùs ad consequentiam quàm ad consequens, non licet enim argumentari à modo cogitationis, ad modum motûs.

Joannes à S. Thoma positivis instantiis illustrat Conclusionem. Quando Angelus sphaeram locabilitatis suæ occupat, æquè primò se coextendit omnibus partibus loci: Idem facit anima in corpore: Corpus Christi in Eucharistia; Ergo etiam poterit spiritus transferre se ab extremo ad extremum, quin pertranseat medium. Rursus, format aliam instantiam, sed ex propriis principiis, quod Angelus sit in loco per operationem. Commodior illa est instantia, quia Angelus potest suæ locabilitatis sphaeram contrahere unico & indivisibili modo, quod ostendit, non esse illum obligatum, ut transeat per partes intermedias. *Ex his*

COLLIGES, non esse hunc motum impossibilem. An autem de facto conveniat Angelis; est divinatio, nulla revelatione fulta.

Circa alia, Motum Angelorum concernentia.

NOTO 1. Non posse Angelum moveri motu continuo ab uno extremo ad aliud, & tamen in instanti.

Ratio, quia & esset ille motus continuus, ut supponitur: & non esset; quia non haberet prius & posterius, utpote instantaneus.

NOTO 2. Posse Angelum moveri motu discreto, & tamen in instanti: Nomine autem motus discreti, venit motus, qui feceritur ab

alio, eò quod cum antecedenti vel consequenti, non habeat unitatem continuationis. Ratio notati, quia talis motus ab una parte non implicat; ex alia parte videmus, quid simile accidere debere in anima: Si enim in instanti non moveretur, ergo actu abscessa manu, deberet aliquantulum sistere in protensione sui extra corpus. Item deberet ita exire ex corpore in articulo mortis, ut sit in corpore, & simul extra corpus.

DICES cum Arriaga d. 17. n. 37. Ex hac sententia sequi intra unum instans fuisse acquisitiones infinitas ubicationes: Nam quælibet fuit totalis ubicatio, & omnes eodem instanti acquisitiones: Nam si amplius durasset in acquisitione, jam fuisset quies, fuissetque motus non discretus, sed continuus; fuerunt enim infinitæ partes pertransitæ.

RESPONDETUR. In sententia negante, ubi modale, non urget difficultas; quia nullo modo multiplicatur, ibi ubicatio entitativa. In sententia modalium non etiam vincit; quia ipsi non singulis partibus singulas ubicationes, sed successivis partibus, successivas ubicationes addunt; poteritque esse motus ille discretus sequens post discretum, sine hoc quod tempus componatur ex instantibus, secundum dicta supra.

NOTO 3. Licet de ratione motus sit, ut id quod movetur, aliter se habeat nunc, quàm prius; explicari tamen potest, quomodo in instanti possit moveri Angelus motu discreto. Nam licet non sit possibile, ut in eodem instanti esset prius & posterius; hoc ipso enim illud instans esset divisibile; nec in hoc sensu habet se Angelus nunc aliter quàm prius; potest tamen in eodem instanti habere se nunc aliter quàm prius, ratione termini, illo instanti acquisiti & ante illud instans non habiti. Quando autem ex S. Thom. adfertur, quod omnes mutationes instantaneæ, sint termini motus successivi; sicut generatio est terminus alterationis; id verum est, de solis corporibus & materialibus.

